



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Hispania tribus rebus ab haeresi praeservata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

DE HISPANIA, ET QUIBUS MODIS
ea ab hæresi fuerit præservata.

CAPUT SEXTUM.

ARGUMENTUM.

- I. Hispania tribus rebus ab hæresi præservata.
- II. Fraternalitates religiosa.
- III. Cruciatæ: ejus institutio, ordo, & proventus.
- IV. Inquisitio, & ad quid instituta.
- V. Inquisitio in Gallis ob hæreticorum crudelitatem, eiusque necessitas.
- VI. Inquisitio Hispanica quæ crimina puniat. Pontius Leo cur condemnatus. Casallo ante supplicium, ad Catholicam fidem conversus.

I. **Q**uemadmodum experientia docuit nonnullos, fulmen perrupta horrendo cum tonitru nube, in terram dejectum, eorum in quæ reiderit animalium corpora, si viva ipsi occurrerint, non comburere: sic hoc loco similiter nobis ab omniscia illa magistra discendum est, Deum, qui hæreseos fulmen sua manu tenet, si quando illud in terram & magna imperia ejaculetur, non tamen ea perditum ire quamdiu suæ ipsa invigilent salutis, ac vitam aliquam in se habeant. Hoc pulcherrimo symbolo adumbravit S. Joannes in Apocalypsi sua cap. 9. loquens de Lutheri locustis: *preceptum est illis ne laderent frænum terre, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* nempe Confirmationis: Itaque hæresis quæ nihil aliud quam animarum quærit exitium, omnia illa regna vastat quæ vita ac spiritu vacua fuerint, id est, in qua omnis religionis cura velut intermortua fuerit atque exstincta. Germania quidem, Francia, Anglia, Polonia, Bohemia igne hoc fere penitus conflagarunt; at Hispania ingruenti hæresi viva ac valida occurrens, flammam illam hæreticæ contagionis evasit. Id quidem post divinam gratiam, Catholicorum Regum curæ, diligentia & pietati acceptum ferendum est, qui memores vulgati istius,

Tunc tua res agitur, parvis quum proximus ardet,
& ipsi nascenti, aut nondum etiam nascenti malo remedium adhibuerunt, & aliis rationem prohibendæ hæreseos commonstrarunt. Sed quoniam huc nos oratio deduxit, vehementer sane peccare mihi videret, si remedia hic non indicarem, quibus

omnia Hispaniæ tam longè lateque patentia regna contra fulmen hoc, quod in ceteris Orbis partibus tot tantisque strages dedit, fuerint præmunita, & illæsa conservata; & illo quidem tempore quo Turcæ ab Oriente arma minabantur, ad Occidentem tumultuabantur Saraceni seu Mauri, ad Meridiem Arabes, ad Aquilonem vero hæresis pleno gradu grassabatur. Nemo hic sibi fingat quod Hispania ideo tuta constiterit quod ipsa in formam bubulæ pellis extensa à tribus partibus duplici mari, Oceano nempe & mari Mediterraneo, & reliqua parte naturali quodam vallo, montibus nimirum Pirenaeis, clausa ac munita sit; in his enim omnibus contra hoc mali genus nihil ei fuit præfidii; sed potius in summa Regum diligentia, qua illi operam semper dederunt, ne quid Catholica religio acciperet detrimenti. Horum singulari prudentia tres præcipue res institutæ sunt, quibus potissimum hæreses profigatæ & Catholica conservata est religio: videlicet *Hermandatus* sive *sancta Fraternalitas*, *sancta Cruciatæ* (*Croisade* vulgo) & *sancta Inquisitio*. Hæc ærea illa scuta, vel cœlestia potius sunt ancilia, quorum nitor Lutheri oculos ita perstrinxit, atque excæcavit, ut velut Democritus ille, in tenebris hinc inde palpans, nullum in Hispaniam aditum reperire, aut vel paullo in ea longius progredi potuerit, quamvis animus & conatus numquam deessent. His tam laudabilibus tamque salutaribus circa animarum curam institutis factum est, ut Hispania hæresis jugum evaserit, quod tamen illa toti Mundo imponere, sibi que in terra velut monarchiam instituire cogitabat. His in tanta rerum omnium confusione ordo conservatus: his à superbo diaboli, infausti infelicium hæreseon architecti, dominatu vindicata fuit Hispania. Rigor ille contra hæreticos adhibitus optatam Dei sponsæ quietem & tranquillitatem reddidit, & nativum splendorem ac pulchritudinem conservavit. Ringantur infructi hæretici, fremant & frendant quantum volunt, calumnientur justitiam, inhumanitatis, crudelitatis accusent: nos certe tot tantæque bona ex his nata ac quotidie nascentia videntes, sancta hæc instituta non possumus non laudare, cum regna quæ illis caruerunt, centuplo majoribus malis bellorum civilium fuerunt implicata per hæreticos, quam mala illa sint, quæ in solos fontes per Inquisitionem, &c. illa remedia sunt inflicta. Cujus &c. quanta sit utilitas & bonitas, nullum certius arbitror reperiri argumentum, quam quod eamalis & hæreticis non placent. Equidem vir-

quid-

quidquam est quod pluribus turpioribus atque atrocioribus calumniis petitur atque diffamatum sit quam ista in Hispania usitata administrandae justitiae ac conservandae Catholicae religionis rationes atque instituta. Nos tamen nihilominus justis & idoneis rationibus facile spero, evincemus, & a quo Lectori persuadebimus, Reformationem hanc, quam Novi isti Reformatores Ecclesiae (qui omnia deformarunt) cane peius & angue oderunt, re ipsa sanctam, justam atque utilem esse. Ordine ergo quid sit Hermandatus, tum Cruciatæ & Inquisitionis, explicabimus.

II. *Hermandatus*, quod verbum *Fraternitatem* significat, exacta justitiae species est, persequendis maleficis, qui se fuga subdixerunt, inserviens. Hac utuntur, ad comprehendendos facinorosos, quum alia media desunt: insequunturque eos, qui magnum aliquod crimen admiserunt, quocumque etiam sese contulerint, sive ea ditio Regi Catholico pareat, sive non. Quam ad rem exploratores adhibent, qui se in familiaritatem eorum, quos quaerunt, insinuant: nec cuiquam rei parcunt, quæ huc faciat, sed omni industriâ, atque omnibus, quos excogitare possunt, modis conantur eum molliter ad se retrahere, atque in eam regionem, unde elapsus est, revocate. Adeunt hominem sub specie amicius amicitiae, ac intimam familiaritatem cum ipso contrahunt, indigentem pecunia, agrum, aut in alia necessitate constitutum omni ope juvant: atque ita hac amoris simulatione inescatum, in plagas jam antea præparatas conjiciunt, & in manus justitiae tradunt. Quod si diffidentia hoc consilium remoretur, tentant persuadere homini, ut vel navi vel curru quem ipsi in hoc emerunt, iter aliquod animi gratia faciat: quo perductos abducunt quo volunt. Hac arte non raro Lutetiae, Constantino- poli, & in Germania abrepti sunt nobiles viri, & in Hispaniam ducti, ingentibus in eam rem impensis sumptibus, magnaque industria captata rei absque tumultu gerendae opportunitate. Qui in sanctam hanc Fraternitatem adscripti sunt, in ipso muneris sui exercitio, viridi vestitu, & pro armis, arcu fere utuntur. Habet hæc societas ad sustinendos tanti oneris sumtus, ingentes redditus, quibus, quum enormis alicujus facinoris reus persequendus est, minime parcunt. Non admittuntur ad Fraternitatem, nisi delecti, inculpati, vitæ probatae, honesto loco nati, munerum & corruptionis aspernatores, validi, & ad tale negotium apti. Utque promtior sit negotii ipsi commissi expeditio, cautum est per

totam Hispaniam, ut in quovis oppido, castello, aut pago, ubi magnum aliquod facinus commissum est, continuo campanarum sono signum detur omnibus, indagandi quid sit, ac omni studio explorandi, quonam sese recipiat is, qui fugit: statimque Hermandatus socii ad suas partes agendas sese accingunt. Hodie hæc Fraternitas in multis Hispaniae locis tanta religione observatur, ut homicidia, rapinae, aut alia crimina ibi raro committantur, aut certe, si qua commissa fuerint, praesentissimam poenam non effugiant. Praeclara sane Fraternitas, cuius tam admirabilis est fructus, ut virtutis augmentum, & tam opulenti Imperii (Justitia enim Regnorum est conservatrix) merito basis appelletur, dixi breviter quid sit Hermandatus. Jam, quid sit *Cruciatæ*, videamus.

III. *Cruciatæ* duas ob causas constituta est: primum ad colligendam pecuniam, quæ bono orbis Christiani, redimendis apud Infideles factis mancipiis, faciendoque infidelibus & hæreticis bello impendatur: deinde, ut constet, num quis pietatis, & Sacramentorum frequentationem negligat. Observatur hæc *Cruciatæ* etiam in Italia, & Romæ quidem, eum in finem instituta, ne quis Mahumetano, aut Judaico, aut hæretico more vivat. Huic ordini omnes & singuli, sine discrimine sexus, anno ætatis septimo nomen dare tenentur: nec quisquam admittitur ad confitendum, nisi bullam *Cruciatæ* habeat, quam redimunt plebei quidem binis, ut vocant, Regalibus, magnarum vero familiarum principes, octonis. Res in hunc modum administratur confessus ex Ecclesiae Catholicae præscripto circa Paschatis tempus ad mensam Domini participaturus ejus corpus accedit: quo sumpto, tesseram accipit, qua scriptum est, *cum hoc anno & hoc die sacra communionem usum esse*. Post Octavam festi, parochus, aut alius, cui hoc negotium datum est, per totam parochiam capitatim tesseras istas colligit: teneturque paterfamilias aut hospes sistere omnes illos, qui octiduo ante festum Paschatis domi ipsius, habita inquisitione, inventi fuerant. Quod si quis tesseram, aut justam excusationem non habeat, in vincula conjicitur, & pecunia mulatur: si vero hæreseos suspectus sit, ad Inquisitionem mittitur. Muneri huic præsumunt Archiepiscopi, Episcopi, & alii integræ & irreprehensibilis vitæ homines: qui etiam summam judicandi potestatem habent. Commissarius generalis Anno M.D. XCV. fuit Cardinalis Franciscus Avila. Reditus *Cruciatæ* opulenti sunt admodum: Sancta vero ap-